

Pro ecclesiis plebis Tuani

Pro collegiata Beatissimae Virginis in Caelum Assumptae loci Speluncati

Cooperiatur baptisterium aliquo decenti panno intra mensem, sub poena librarum decem.

Intra duos menses auro liniatur calix parvus ex auricalco, et interim interdicto subiaceat.

Intra decem dies aptetur planeta nigra, sub poena interdicti. Missalibus apponantur missae novorum sanctorum intra quatuor menses, alias sint interdicta.

Praeterea illustrissimus dominus hortatus est venerabile capitulum et populum, non solum ad conficiendum pavimentum ecclesiae, sedilia seu chorū, vero etiam ad amplificandam ecclesiam, quae quidem angusta est populo huius loci.

Pro ecclesia parochiali Sanctae Catharinae Martyris eiusdem loci

Elevetur lapis sacer ad aequalitatem mensae altaris [78r] cappellae sancti Iosephi intra octo dies, sub poena interdicti.

Altari Animarum Purgantium fiat subpedaneum, sub poena librarum triginta.

Sedi confessionarii apponantur tabella casuum reservatorum et bulla *In caena Domini*.

Intra sex menses faenestrae instruantur laminis vitreis, sub poena librarum quinquaginta.

Auro liniatur calix intra duos menses, sub poena interdicti. Aptetur planeta nigra et missalibus apponantur missae novorum sanctorum, sub poena interdicti post quatuor menses.

[...]

[*en marge*] Visitatio loci Speluncati dictae dioecesis cum adnexis

Post prandium cum omnia acta fuissent prout alias, hora 21 discessit cum suis et se contulit ad locum Speluncati, ad quem pervenit hora 23 suamque residentiam fixit in aedibus dominorum de Arrighis.

Die 18 aprilis illustrissimus ac reverendissimus dominus audivit venerabile capitulum et caeteros qui ad eum accedebant.

Die 19 dominica 4 post Pascha hora 15 accessit ad ecclesiam parochialem insignis collegiatae Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptae loci Speluncati, praecedentibus confratribus, tum clero et capitulo. Omnia de more persolvit, celebravit missam, habuit mrtuorum absolutionem et mox sacramentum Confirmationis. Demum visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime detinetur, eoque populum benedixit; et attenta tarditatae horae suaे residentiae se restituit.

[122v] Die dicta admodum reverendus dominus plebanus convisitator perexit ad visitandam viceparochialem ecclesiam Sancti Salvatoris loci Costae parochiae Occhiatanae, et

factis precibus visitavit sanctissimum Sacramentum, quod decenter detinetur, quemadmodum etiam baptisterium. Altaria sunt sufficienter ornata et munde retenta.

Erat huic ecclesiae adiectus murus, sed populus instabat ut demoliretur, ad effectum ut posset ecclesiam circumire, et ita (etc.).

Die 20 eiusdem mensis illustrissimus dominus visitavit conventum patrum Cappuccinorum Beatae Virginis Mariae *della Pace*. Post prandium vero discessit cum suis et perexit ad conventum patrum Minorum Reformatorum Sancti Francisci Tuani, ubi admodum reverendus dominus De Aloysiis missionarius sacras peragebat missiones iam a diebus decem, et visitavit dictum conventum.

Die 21 aprilis illustrissimus dominus celebravit missam in ecclesia dictorum patrum, et a reverendissimo patre theologo consueto praemisso sermone, communicavit, indulgentiamque plenariam fuit impertitus, prout alias, et demum pontificaliter indutus populum benedixit.

**[123r]** Post prandium pree nimia pluvia quiescendum fuit. Die 22 illustrissimus dominus mane audita missa se contulit ad ecclesiam parochiale Sanctorum Simonis et Iudae loci Villae, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Simone Ioanne Giovannoni parocho et a populo. Omnia de more peregit et visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime detinetur, eoque parochus populum benedixit.

Baptisterium etiam sufficienter asservatur. Tria sunt altaria: maius dictis sanctis dicatum; 2. a cornu Evangelii, Animarum Purgantium; 3. ex altera parte, sanctissimi Rosarii. Nullum adnexum est missarum onus et manutenentur cum ecclesia et sacris suppellectilibus a communitate et populo consuetis eleemosinis. Tam ecclesia quam altaria et sacristia omnia quippe munda sunt. Unde illustrissimus dominus laudavit pietatem populi et rectoris diligentiam erga ecclesiam.

Parochus ultra applicationem missae pro populo in quolibet die festo celebrare debet missas 47 pro duabus stabilibus.

Annui redditus parochi demptis expensis librae 723. Familiae sunt 109. Sacerdotes 17. Animae 495. **[123v]** Altare privilegiatum altare maius.

Successive ego infrascriptus visitavi oratorium Sancti Rocchi, in quo unum est altare sufficienter retentum, et manutenetur a populo nec in eo nullum est missarum onus.

Illustrissimus dominus visitavit oratorium seu casazza sancto Antonio dicatum, quod omnibus necessariis munitum reperiit.

Extat aliud oratorium Sanctae Mariae Magdalena iurispatronatus ad praesens sacerdotis Andreae Simonetti. In eo erecta est cappellania a quondam sacerdote Simonetto Simonetti, prout ex eius testamento rogato a notario Petro Maria Ansaldi sub die 19 iulii 1650; tum ab eius pronepote aucta, prout ex codicillo dicti Andreae [sic] testatoris rogato a Diodoro Giocanti die 25

iulii 1659, qui ambo reliquerunt onus missarum ad arbitrium haeredum; sed cum adhuc non fuerint census creati, don Virgilius filius dicti Andreeae [?] assignavit tot stabilia in summa librarum 2500, prout ex actis notarii Petri Antonii 1726, et dictis oneribus fuit satisfactum.

Itaque illustrissimus ac reverendissimus dominus visis omnibus (etc.) ad suam residentiam loci Speluncati rediit.

[124r] Die 23 aprilis, festo beati Alexandri Sauli episcopi Aleriensis, illustrissimus ac reverendissimus dominus, ut piae petitioni capituli et populi satisfaceret, tum in honorem eiusdem beati, quo die vertebat annus ex quo ad hanc insulam pervenerat, missam pontificalem celebravit.

Post prandium hora 20 accessit ad ecclesiam parochialem Sanctae Catharinae virginis et martiris, ubi fuit reverenter receptus ab admodum reverendo archipraesbitero insignis collegiatae et a populo. Omnia de more persolvit et visitavit sanctissimum Sacramentum, quod satis decenter retinetur, eoque dictus archipraesbiter populum benedixit.

Baptisterium et sacra olea etiam satis munda. Altaria sunt quatuor. Maius, sanctae Catharinae dicatum; 2. sanctissimo Rosario; 3. beatae Mariae Virginis Assumptae; 4. sancto Iosepho dicatum, in quo erecta est cappellania a quondam Iovannone quondam Antonii Padovano, prout ex testamento rogato a notario Rocho Baccagheri die 17 augusti 1687, cum onere cappellano missarum trium in qualibet hebdomada et ma[124v]nutenendi altare et eius cappellam.

Redditus huius ecclesiae sunt librae 440, prout ex bulla erectionis insignis collegiatae; et haec ecclesia una est duarum quae unitae sunt pro dicta collegiata, de qua aliqua inferius referam. Dicta ecclesia et altaria sufficienter munda sunt et ornata, prout ex decretis.

Successive illustrissimus et reverendissimus dominus visitavit oratorium Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo, in quo unum est altare, et in eo erecta est cappellania dotata a quondam Paulo Maria Orlandini cum onere cappellano pro tempore, qui ad praesens est praepositus Antonius Abraini, missarum 4 in hebdomada, prout ex testamento rogato a notario Petro Antonio Pierantoni a Villis anno 1719. Sunt etiam fructus librarum 300 in tot stabilibus, ex quibus celebrari debent tot missae cum eleemosina solidorum 12 et 16 denariorum; et etiam cappellanus tenetur ad manutentionem. Cum dictus cappellanus non parum negligens esset, unde etiam erant contentiones cum eis qui vocati sunt ad dictam cappellaniam, idcirco illustrissimus dominus voluit ut dictus cappellanus iuraret de adimplemento [125r] onerum; et hinc edidit sententiam, prout in libro ipsius cappellaniae, ad quem (etc.).

Immediate rediit ad ecclesiam insignis collegiatae, quae olim erat plebania sub titulo Sancti Ioannis Baptiste Tuani, tum dicta Sancti Michaelis Arcangeli, modo vero in erectione collegiatae Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptae. Quinque sunt altaria. Maius, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum; 2. a parte Epistolae, sancti Philippi; 3 sanctissimi Rosarii; 4.

sanctissimae Conceptionis; 5. a cornu Evangelii, sanctissimae Trinitatis, sancti Rocchi et sancti Sebastiani. Dicta altaria sufficienter ornata sunt et munde retenta. Illustrissimus ac reverendissimus dominus hortatus est venerabile capitulum et populum, non solum ad perficiendam ecclesiam quoad pavimentum, conficienda sedilia et chorū, verum etiam ad ampliandam ecclesiam, quae populo huius loci in diem crescenti admodum angusta est, ut in decretis (etc.)

### De capitulo

Anno 1750 erecta fuit dicta collegiata a sanctae memoriae Benedicto XIV et die 17 iulii canonici inierunt possessionem. Membra eiusdem sunt modo archipraesbiter Thimoteus [125v] Bartoli, cum cura actuali animarum; 2. praepositus Antonius Alvaini; 3. canonicus Angelus Michael Pipini [*lire Pizzini*]; 4. Iacobus Franciscus Pizzini; 5. Iacobus Franciscus Ambrosini; 6. Imperius Carli; 7. Bonaventura Consalvi; octavus, Marcus Angelus Leoni; 9. Petrus Franciscus Alberti; 10. Georgius Georgi Vitali; 11. beneficiatus Ioannes Luca Philippi, non residens; 12. Ioannes Baptista Ringioni, non residens; et duae prebendae beneficiale vacant. Veste seu signum canonicale est: vestis talaris, rochettum et mozzetta. Sigillum, imago beatae Virginis Mariae Assumptae. Dictae praebendae compactae sunt suppressione duarum parochialium, nempe ecclesiae predictae plebis Sancti Michaelis Arcangeli loci Tuani et alterius Sanctae Catharinae. Sed cum adhuc vivat plebanus Marcus Antonius Filippi, idcirco moderni canonici percipiunt solum fructus quos reddit ecclesiae parochialis Sanctae Catharinae, quorum partem deponunt pro satisfactione debitorum contractorum in solvendis bullis (etc.) et partem inter se dividunt. Immo per plures annos praefati canonici [126r] gratis inservierunt; et tamen illustrissimus ac reverendissimus dominus deprehendit modulate psallere et functiones peragere non sine aliquo ordine et gratia; ideoque laudavit eorum pietatem et enixe hortatus est ut prosequant.

Plurima quae a bulla erectionis praecipiebantur et praescribuntur hactenus exequutioni non sunt demandata nec constituta punctatarum taxa, hora psallendis, sed ut dixi, cum pene gratis inserviant, illustrissimus ac reverendissimus dominus noluit ulterius maius onus imponere, et solum monuit ut quotidie missam conventualem applicent pro benefactoribus, quemadmodum modo adimpletur.

Post mortem praefati plebani redditus praebendarum erunt scuta centum monetae romanae pro archipraesbitero, septuaginta quinque pro praeposito; quisque vero canonicus consequetur scuta<sub>ta?</sub> quinquaginta et singuli beneficiati viginti quinque.

Praeter missam quotidianam conventualem et singulis dominicis et festis diebus pro populo, capitulum habet onus missarum quinquaginta. Et haec satis [126v] pro simplici notione huius capitulo.

Familiae 161. Sacerdotes 21. Animae 771. Altare privilegiatum in collegiata altare sanctissimae Conceptionis.

Die 24 aprilis actus fuit concursus ecclesiae parochialis Sanctorum Cosmae et Damiani loci Felce.

Die 25 pro ecclesia Sancti Andreeae loci Cottoni.

Die 26 dominica quinta post Pascha illustrissimus dominus mane celebravit missam; et cum omnia essent peracta, nempe revisiones librorum, visitationes personales sacerdotum, et de eis factum experimentum de caerimoniis missae, una cum suis discessit et se contulit ad locum Poggiole plebis Iussani Marianensis dioecesis suamque residentiam fixit in domibus oratorii Sancti Antonii contiguis cuiusdam particularis illius loci.

[...]

Die 20 aprilis illustrissimus dominus de more accessit ad ecclesiam conventus Beatissimae Virginis Mariae Pacis Speluncati [*correct sur* Belgodere (?)], ubi omnia de more persolvit, recepit patres et laicos ad annuli osculum, et deinde visitavit sanctissimum Sacramentum, quod optime retinetur.

Recognovit altaria et lustravit ecclesiam, quae munde retinetur. Deprehendit tamen in fundo ecclesiae a cornu Evangelii parum sacellum in quo sepeliuntur religiosi in parvis aediculis hinc inde ad parietes et in medio altare; idcirco interdicto omnino subiecit altare et sacellum donec tollantur deposita et muro impleantur aediculae quae in eodem extant, et in posterum decrevit religiosos sive sacerdotes sive laicos sepeliri in sepulchro subterraneo, sub poena privationis officii guardiano pro tem~~tem~~pore.

Ascivit deinde omnes patres et laicos in cubiculum (etc.) omnesque absolvit a censuris praemisso sermone (etc.), visitavit cellas, officinas et clausuram et decrevit restaurari et elevari murum clausurae nemoris, ne mulieres ingredi queant, sub poena privationis vocis activae et passivae guardiano pro tempore, et ita (etc.).